3571.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

N° 3571.



M. Tuscher fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

= L N. 1524
M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

3571

PARENTATIO

HVMANISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO DN. M. IOANNI CHRISTIANO SPENDORPIO Dano facta

á

NICOLAO SPENDORPIO

Dulciſsimæ recordationis ergá fratrem & debitæ gratitudinis erga patrem ſtudio,

Anno Chriſti 1598.

VVITEBERGÆ

Excudebat Laurentius Seuberlich

ANNO M. D. XCVIII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

REVERENDO ET DOCTISSIMO VIRO DN. CHRISTIAno Nicolao fideli paſtori Eccleſiæ in Spentrup & Gaſſum Cimbricæ Cherſoneſi, Domino & parenti, ſtudiorumq́; patrono benigniſſimo & obſervandiſsimo

S. P. D.

IN vitiis, quæ liberaliter educatum hominem cane & angve peius odiſſe & fugere decet, non poſtremum obtinet locum ingratitudo. Ex ea enim tanquam ex radice omnis generis pullulant mala. Ingratus n. qui eſt, & mẽdax eſt & iniuſtus. Mendax quod beneficia in ſe collata mendaciter abnegat: Iniuſtus quòd ea neq; verbis neq; reipſa referre ſtudet. Hinc non falsò dicitur. Maledicta cuncta dixeris, cum hominem ingratum dixeris. Eſtq́; ingratitudo S: Bernhardo atteſtaute, veluti ventus urens, fontem benignitatis exiccans. Quippe qua non modo ſibi ipſi nocumentum & damnum afferat, ſed & reliquis ope aliorum indigentibus, cum qui ſemel hominum ingratitudinem expertus ſit, in benefaciendo parciſsimus ſit. Quo pertinet verſus.

Ingratus unus omnibus aliis nocet.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

E contrario εὐχαριστία, *teſte Cicerone, non ſo-
lum maxima eſt virtus, ſed & mater omnium
reliquarum, qua qui ornatus eſt favorem &
gratiam facilimè apud homines ſibi invenit. Et
laudem ſummam meretur ſi de quopiam verè
prædicari poteſt Maronianum id: Et bene apud
memorem veteris ſtat gratia facti: Ac eſt grati-
tudo, vt quidam ex patribus inquit, ad plus dan-
uiduus invitatio. Huius virtutis amore, credo,
dum & inflammati ſtudioſi in quacunq; diſci-
plina Mœcenatibus & nutriciis ſuis ingenii ſui
fœtus conſecrare & dedicare conſueverunt.
Cum enim noſtrum qui in doctrinarum ſtudiis
verſamur tenues plerunq; ſint fortunæ, grati a-
nimi memoriam nullo alio modo declarare poſ-
ſumus, quàm per eiuſmodi munuſcula literaria.
Quorum ego laudabilem conſuetudinem imita-
ri volens: cum Mœcenas ſtudiorum meorum
nullus maior te ſit, parens honorande, oratiun-
culam hanc à me conſcriptam nemini potius
quam tibi dedicare decreui, non quidem quod
exiſtimem me aſſequi poſſe magnitudinem me-
ritorum tuorum erga me, (quod minime omni-
um fieri potè) ſed ut intelligas me incipere iam æ-*

 ſtimare

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

ſtimare tua ſumma beneficia, quibus me una cum reliquis filiis tuis cumulatiſſimè afficis. Etſi tuis auribus acutis illam non ſatis dignam eſſe facilimè æſtimare poſſum, tamen ut conatum meum ne improbes maximopere contendo, ſed cogitas illud: In magnis voluiſſe ſat eſt. Si non aliud hac opera mea præſtare potui, certe hoc unicum ſpectare volui, ut inter te & inter nos aniverſaria defuncti noſtri cariſſimi memoria renovaretur. Noſti enim abſentium & defunctorum recordationem amicis accidere ſuaviſſimam & gratiſſtmam. Et propter hanc cauſam Deus ipſe nobis indidit στόργασ *& igniculos quosdam affectuum, qui ſimul nos admonerent de ardentiſſimo amore Dei patris erga genus humanum, quod adeo dilexit, ut pro eo proprium filium in mortem tradiderit. Deus clemẽtiſſimus pater ad eccleſiæ ſuæ incrementum, & meum, meorumq́; fratrum commodum te nobis incolumem conſervet* πολλὰς εἰς ἐτέων δεκάδας *Vale. VVitebergæ ipſo die D. Bartholomei.*

Rev. dig. Tuæ
filius obſequentiſsimus
NICOLAVS SPENDORPIVS
in Academia VVitebergenſi pietatis
& artium ſtudioſus.

3571.

INter cæteras exercitationes, quarum beneficio ad ſolidæ eruditionis faſtigium aſcendere datur, haud poſtrema eſt exercitatio ſcribendi ſeu ſtilus. Hic enim, ſecundum patrem eloquentiæ M. Tullum l. 1. de oratore, optimus & præſtantiſsimus dicendi effector eſt atq; magiſter. Ac, ut idem inquit, caput eſt quamplurimum ſcribere. Nam hoc omnium eruditorum unanimi conſenſu, & experientia comprobatum eſt, quod etiamſi eruditionis theſaurum non mediocrem quis comparet ſibi, ſæpenumero tamen eveniat, ut cum opus eſt, depromere illum, adque utilitatem communẽ aliquid inde adiumenti afferre minimè poſsit. Quod ex nulla adeò re contingit, niſi quòd ſtili exercitium, ut quod laboris & tædii ſit pleniſsimum, in iuventute intermiſſum fuit. Vnde verè dictum eſt nos nihil quicquam ſcire, niſi ſcribendo & docendo id proferre in medium queamus. Et Plutarchus ſapientiſsimus, eruditiſsimusq; ſcriptor in libello περὶ παίδων ἀγωγῆς ad eruditionem non φύσιν καὶ μάθησιν ſolumodo requirit, ſed & ἄσκησιν accedere oportere indubitanter aſſerit. Quò ſpectat notiſsimus ille verſiculus Ovidij:

Solus & artifices qui facit uſus erit.

Et Bapiſtæ Mantuani δίστιχον:

Auſpice natura, methodo, duce, & arte magiſtra
Et comitante uſu, quod ſumus, omne ſumus.

Quas commendationes ſtili, ego mecum diligentius ponderans, mearum partium eſſe duxi, poſtquam in paleſtra diſputationum mediocriter me exercuiſſem, aliaq; ſuſcepiſſem γυμνάσματα, ſtili quoque exercitio temporis aliquantum tribuere. Cogitanti verò mihi, quidnam potiſsimum hoc tempore materiæ loco tractandum in manus ſumerem, viſum eſt commodiſsimum, nec humeris meis planè impar, neque ab hoc periculoſo tempore abhorrens argumentum, ſi de miſeria primum cum qua genus humanum univerſum conflictatur, aliquid pro tenuitate ingenij differerem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

Deinde verò fratrem meum felicis memoriæ, qui anno ſuperiori in hac Academia debitum naturæ exolvit debitis lacrymis decorem, eiq; parentarem. Quæ materia eò magis etiam allubeſcebat mihi quòd tibi, parens exoptatiſsime, luctū tuum oratiuncula hac haud parum levatum iri confiderem, ſi qua lege, & conditione omnes homines nati, & in hanc lucem producti eſſent, in memoriam tibi revocarem, ne in communi miſeria totius generis humani præcipuam tibi fortunam poſtulares. Hoc ergo dum facere conor, quæſo, pater dilectiſsime, ut ballutienti mihi verius, quam dicenti aures accomodes patientes & benignas. Principio præclarè admodum, ſicut omnia cecinit ſacerdos, ille Aſcræus.

ὃν μȣ̃σαι ἐδίδαξαν ἀθέσφατον ὕμνον ἀείδειν
πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν πλείη; ἡ θάλασσα,

Quibus verbis poëta antiquiſsimus indicat & terram & mare refertum eſſe malis, & miſerijs, quaſi dicat: Si ſummatim & compendio dicendum eſt, quidnam malorum ſit in vita, uno verbo dicam, & terra & pontus mala vehunt, nullus angulus orbis dari poteſt, quo non afflictiones, mala, ærumnæ, et calamitates omnis generis penetrent nullū quoq; animal eſſe ſubinnuit, ſive rationis participes ſit, ſive eiuſdem expers, quin ſuos patiatur manes. Neptuni pecora, Piſces à congeneribus ſuis in mari ſæpiuſculè devorantur. Sicut inquit Seneca, maiori fit præda minor. Ovi lupus inſidiatur, & lepori canis. Accipiter in columbas facit impetum, veſpertilionem & noctuam aves cæteræ infeſtant, & impugnant. Et quodnam ex animantibus, eſt quod ab homine per dolum & inſidias non capiatur. De morbis quibus animantes pleræq; omnes obnoxiæ ſunt, quid attinet multa verba facere? Cum conſtet porrigine & grandine porcos, alijs morbis alia animalia abſumi. Quamvis ergo minimè ſunt animantia bruta exortia malorum: homo tamen præter cæteras creaturas infinita penè calamitatum experitur genera.

Vnde

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

Vnde non minus verè, quàm eruditè Oceanus Poetarum Homerus ait:

οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο

Nihil miſerius nutrit terra homine Et

Euripides in initio tragædiæ, quæ Oreſtes inſcribitur:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ᾽ εἰπεῖν ἔπος,
οὐδὲ πάθος, οὐδὲ συμφορὰ θεήλατος,
ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ᾽ ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Cum quo conſentit Herodotus in libro cui titulus eſt Clio:

πᾶν ἐστιν ἄνθρωπος συμφορή.

Homo quantus quantus eſt, nil niſi mera calamitas eſt.

Hinc verſus vulgi ore tutiſsimi:

Vita quid eſt? labor eſt, & habendi vana cupido.
Triſtis ad extremum ſollicitudo diem.

Item: *Vita quid eſt hominum niſi ſpes incerta laborq;*
Hac inter dubij viuimus, aut morimur.

Et pleni ſunt libri Ethnicorum lamentationibus & deplorationibus miſeriarum generis humani. Ac non eſſe eas de nihilo paululum modo altius conſideranti apparet. Videas enim nonnullos adhuc in utero incluſos ἔκτρωμα fieri & emori antequam dias in luminis oras fuerint emiſsi. Aſpice mihi & conſidera hominem ex vtero matris in lucem hanc natum, nonne gemitu ſuo malo ſanè auſpicio deplorat, quaſi & auguratur quodammodo, quantum malorum in hoc mundo ſuſtinendum & exantlandum ſibi ſit. Naſcitur homo nudus & inops, cui fame pereundum ſit, niſi matris uberibus lactetur. Quod tam Lucretius, quam Plinius pulchrè conteſtantur. Lucretius quidem lib. 5,

Nudus humi iacet, infans indigus omni
Vitali auxilio, cum primum ad luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profudit,
Vagituq; locum lugubri complet, ut aquum eſt,
Cui tantum in vita reſtat tranſire malorum.

Plinius

Plinius verò in proœmio lib. 7. naturalis hiſtoriæ ita ſcribit verbis memorabilibus:

Principium iure tribuitur homini, cuius cauſa videtur omnia alia genuiſſe natura. magna & ſæva mercede contra tanta ſua munera: ut non ſit ſatis æſtimare, parens melior homini, an triſtior noverca fuerit. Ante omnia unum animantium cunctorum, alienis velat opibus: cæteris vatiè tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquamas, vellera. Truncos etiam arboresq; cortice, interdum gemino, à frigoribus & calore tutata eſt. Hominem tantùm nudum, & in uuda humo, natali die abiicit ad vagitus ſtatim & ploratum, nullumq; tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio. At Hercule riſus, præcox ille & celerrimus, ante quadrageſimum diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: itaq; feliciter natus iacet, manibus pedibusq; deuinctis, flens, animal cæteris imperaturum: & à ſupplicijs vitam auſpicatur, unam tantùm ob culpam, qui natum eſt. Heu dementiam ab iis initiis exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos. Prima roboris ſpes, Prima & roboris ſpes, primũq; temporis munus quadrupedi ſimilem facit. Quando homini inceſſus? quando vox? quando firmum cibis os? quandiu palpitans vertex, ſummæ inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? Iam morbi, totq; medicinæ contra mala excogitatæ, & hæ quoque ſubinde novitatibus victæ. Cætera ſentire naturam ſuam, alia pernicitatem uſnrpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare; hominem ſcire nihil ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci: breviterq; non aliud naturæ ſponte, quàm flere. Itaque multi extitere, qui non naſci optimum cenſerent, aut quàm ocyſsimè aboleri. Vni animantium luctus eſt datus, uni luxuria, & quidem innumerabilius modis, ac per ſingula membra: uni ambitio, uni auaritia, uni im-

menſa

menſa vivendi cupido, uni ſuperſtitio, uni ſepulturæ cura, atque etiam poſt ſe de futuro. Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pavor confuſior, nulli rabies acrior. Denique cætera animantia in ſuo genere probè degunt; congregari vidimus, & ſtare contra diſsimilia: Leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentium morſus non petit ſerpentes: ne maris quidem belluæ ac piſces, niſi in diverſa genera, ſæviunt. At Hercule homini plurima ex homine ſunt mala. Hucuſq; Plinius.

Sed procedamus. Hominem cum natus eſt, iam frigora premunt, iam æſtas urit, iam paupertas eum invadit, iam morbi.

Morborum genera ſi libeat percenſere, quibus homo miſerrima omnium creaturarum eſt ſubiecta, tempus me citius, quàm oratio deficeret.

Obſervarunt medici, tot eſſe morborum genera, quot ſint in corpore humano membra & oſsicula & unumquodq; ex his non uno, ſed creberrimis & diverſis morbis attentari. Alius enim homo Phthiſi, alius apoplexia perit, alius febri, alius gladio & bombarda interficitur, alium iugulat ſua gula, voracitas, & plus nimio ingeſtus potus. Quid dicam de contagioſis morbis? quibus nonnunquam toti pagi, totæ ciuitates, imo totæ regiones enecantur. Bella quot miriades hominum conficiunt, alius orbatur patre, alius matre, non nemo utroq; parente in primo ſtatim tempore ætatis: alius in flore & vere ætatis occidit, cùm ſpes iam eſſet optima, rempubl: ex eius induſtria & ingenio uberrimos percepturam fructus.

Ex Ephebis egreſſo homini quot mala ſunt perpetienda, ei præſertim, qui fortunam habet novercantem, & paupertatis oneri oppreſſus eſt, & tum Horatianum illud experitur:

Multa tulit fecitq; puer, ſudauit & alſit
Abſtinuit venere & baccho, qui Pythia cantat.

Nam ſecundum verſum Publij mimographi.
Multa experiri paupertas hominem iubet.

Sæpe etiam contingit ut caſu quodam in conſortium & ſocietatem improborum & perditorum incidat, qui ipſum improvidum in mala intextricabilia implicant, & involvunt. Nonnullis vulnera in caput, pedes, & alia membra infliguntur, ut vita inſequens omnis eis reddatur acerba & miſera. Iam viri facti quot calamitates, quot ærumnas, quod ſentimus incommoditates, & adverſa? ferè fit, ut dum adhuc pueri & adoleſcentes imperiti rerum ſumus, etiamſi quid malorum ſubeundum ſit, tamen polliceamur nobis ipſi. Sed ſpe ſæpe fruſtranea, felicitatem ſummam, & aureos montes, ubi ad functiones & munera publica adbibiti fuerimus.

Sed felices fruſtra nobis promittimus annos.

In Coniugio quidam tam ſunt miſeri & infelices, ut emortalem (ſi cum Plauto loqui licet) diem beatiorem exiſtiment quam natalem. Vel enim cum uxore moroſa, rixoſa, ignava, prodiga, ſumptuoſa conflictari neceſſe habent, vel liberos habent immorigeros & ad flagitia quæque perpetranda ingenioſos & habiles: Vel etiam planè ſterile, & in fœcundum poſsident coniugium. Alij vitæ genus laborioſum habent & inquietum ut Poſidippus veriſsimè ſcripſerit:

ποίην τις βιότοιο τάμοιο τρίβον; εἰν ἀγορῇ μὲν
νείκεα καὶ χαλεπαὶ πρήξιες· ἐν δὲ δόμοις,
Φροντίδες, ἐνδ᾽ ἀγροῖς, καμάτων ἅλις ἐν ῗ δόμοις
τάρβος ἐπὶ ῥείνης δ᾽ ἢν μὲν ἔχεις τι, δέος.
ἢνδ᾽ ἠπορῇς, ἀνιαρὸν ἔχεις γάμον, οὐκ ἀμέριμνος
ἔσσαι. οὐ γαμέεις, ζῇς ἔτ᾽ ἐρημότερον.
τέκνα, πόνη πήρωσις ἄπαις βίος αἱ νεότητες,
ἄφρονες, αἱ πολιαὶ δ᾽ ἔμπαλιν ἀδρανέες.
ἦν ἄρα τοῖν δυοῖν ἑνὸς αἵρεσις ἢ τὸ γενέσθαι
μηδέποτ᾽ ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.

Hoc

Hoc eſt, vt reddidit C. Vrſ. Velius:

Nam quod iter vita ſectabere plena moleſtis
Sunt fora litigijs, anxia cura domi.
Rure labor, terrent medio diſcrimina ponto,
Si peregrè es, partis rebus vbiq; times.
Ac rurſus triſtaris egens uxorius autem
Angeris: es vita cœlibe, ſolus eris.
Sollicitant nati: non vivis & integer, orbus,
Corde iuventa caret, robore canities
Alterutrum iccirco eſt nobis optabile, nunquam
Aut naſci, aut natos occubuiſſe cito.

His inſuper omnibus accedit ultimum malorum, ut ultima linea rerum, ea quidem certiſsima, ſed eius hora in certiſsima.

τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα
βίοτος τρέχει κυλισθεὶς
ὀλίγη δ' : κεισόμεθα
κόνις ὀστέων λυθέντων

Canit melitiſsimus melicorum Anacreon. Et iuxta communem verſiculum:

Mors ſeruat legem, tollit cum paupere regem.

Neq; enim munera acceptat mors à diuitibus, aut largitionibus ſe corrumpi ſinit dicente Æſchylo:

μόνος θεῶν γὰρ θάνατος, οὐ δώρων ἐρᾷ
οὔτ' ἄν τι θύων οὔτ' ἐπισπένδων ναοῖς
οὐ βωμός ἐστιν, οὐδὲ παιωνίζεται
μόνου δὲ πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ.

Mortis porrò non unum eſt genus. Alij ſubitanea morte expirant, alij diuturno conficiuntur mœrore. De Anacreonte cuius paulo antè allegaui verſus perhibetur, quòd cum uvæ paſſæ ſucco tenues & exiles virium reliquias in ſenectute foveret, unius grani, pertinaciore in aridis faucibus hu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

more aſſumptus fuerit. Sophocles ultimæ jam ſenectutis cum in certamine Tragediam dixiſſet ancipiti ſententiarum eventu diu ſolicitus: aliquando tamen una ſententia victor, cauſam mortis gaudium habuit. Polemonem vis riſus immoderati abſtulit. Sed atrocius aliquanto Euripides finivit vitam. Ab Archelai enim regis cœna in Macedonia domum hoſpitalem repetens, canum morſibus laniatus obijt: Crudelitas fati tanto ingenio non debita. Alexander III. Pontifex Romanus vmbræ captandæ gratia cum ſuis expatiatus aquam ex fonte hauſit, & muſcâ in fauces cum impetu impacta miſerè ſuffocatus interijt. Ex quibus omnibus hoc manifeſtè deprehendi & conſpici poteſt, quàm verè vita iſta plus aloes, quàm mellis habeat. Sed ſatis de malis huius vitæ, quantum quidem per exiguitatem ingenij mihi licuit, dixiſſe me arbitror. Conuerto me jam nunc ad alteram inſtituti noſtri partem, quam de fratris vita & morte futuram diximùs. Neq; tamen animus eſt ſingula minutim & particulatim commemorare, ſed attingam ſaltem præcipuè, ne præco & buccinator domeſticæ laudis eſſe videar. Is ergo Chriſtianus cumprimùm in hunc mundum veniſſet, per Sacramentum initationis incorporatus Chriſto, ciuis cœleſtis Hieroſolymæ, quæ eſt Eccleſia fieri cœpit, Quod ſi Plato gloriatus eſt, ſe eſſe ciuem Athenienſem natum, non barbarum, quidni multò magis gloriari habeat, Chriſtianus, qui per Chriſti meritum ciuis Eccleſiæ fieri meruit. Poſt deinde à parentibus, (quod verè dicere poſſum) pijs piè inſtitutus, in pietate, omni honeſtate & moribus decentibus, indies plurimum profecit. Quiq; perpetuus eſt animus tuus, parens dulciſsime, in eccleſiam, is quoq; in omnes filios fuit, quia nullis parcens ſumptibus, hunc quoq; cum reliquis tuis filijs quam primum per ætatem licuit educandum & erudiendum in artibus liberalibus apud exteros

tot

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

curaſti. Dicerem hîc quam id rarum ſit, vt vnus pater tot liberos ſuis impenſis & ſumptibus in tam longinquis & remotis oris ſuſtentet, ni vererer ſycophantæ morſum, & dentem Theoninum. Iſocrateum enim illud ad Demonicum ſæpè in ore & mente tibi fuit. Si mercatores opum cumulandarum gratia remotiſsima maria pernauigare non piget, multò minus adoleſcentes pigeat iter terreſtre ſuſcipere, ingenij cultus capiendi cauſa, Ac miſſus eſt primò Arhuſiam frater meus, ut diſceret ibi initia artium & linguarum, ut fundamento hoc bené iacto ſuperſtruere poſteà eò rectiùs & commodius poſſet artes ſuperiores. In quo loco tunc temporis ſumma cum laude & maximo emolumento teneræ iuventutis Rectorem ſcholæ agebat Reverend. dignitatis & clariſs. Vir Dn. M. Iohannes Laurentius, qui nunc Chriſti oues feliciſsimè paſcit & Eccleſiam fideliſsimè gubernat, qua quidem in ſchola emicuit ingenium eius neq; hebes neq; ignavum, ſed & induſtriam ſuam præceptoribus ita probavit, ut diſcipulo hoc beatos ſe iudicarent. Fit enim ut etiamnum in tenera ætate non obſcurè perſpici & præſagiri quaſi poſsit, qui bonus & frugi futurus ſit, Et ſic vulgari verſu dicitur: *Vrit maturè quod vult urtica manere.* Et Græco: αὐτίκα δὴ φυτὰ δῆλα, ἃ μέλλει κάρπιμ' ἔσεσθαι.

Cum igitur hoc in ludo æqualibus ſuis facilè palmam præriperet, hortati eum, ſicut & parentes ſunt ipſi præceptores, vt altiorem peteret ſcholam ad uberiores ſtudiorum fructus comparandos. Itaq; Roſchildiam non ignobile Daniæ oppidum profectus eſt, & cum jam tunc eluceret eius eruditio, à viris, ſapientia, doctrina, & autoritate præſtantibus Regiæ Maieſtati commendatus fuit, à qua etiam id ſimul eſt impetratum, ut per triennium ibidem, regia planè munificentia aleretur. Cumq; hic etiam ſtrenuè incubuiſſet literis, eſſetq; cognitum, non malè ſumptus eos apud ipſum eſſe po-

 ſitos:

ſitos : Haſniam, quæ Academia & metropolis eſt totius
Daniæ celeberrima mittebatur, regiaq́ʒ itidem liberalitate per
annos tres fruebatur. Vbi hic quoq́ʒ viſus eſt in Paleſtra ſtu-
diorum haud ignaviter deſudaſſe, ſuaſu amicorum VVite-
bergam excurrit. Ea namq́ʒ celebritas jam inde à multis an-
nis eſt huius Academiæ apud noſtram gentem & alibi ubiq́ʒ,
ut qui eam nunquam ſtudiorum gratia ingreſſus ſit licet pro-
greſſus in ſtudiis fecerit non pœnitendos, judicetur tamen
non ita bene eruditus. Ac cogit nos res ipſa fateri, quod
VViteberga propter exortam ibi primitus per miniſterium
Lutheri lucem Evangelij, propterq́ʒ profeſſorum in omni
genere diſciplinarum præſtantium claritatem, præſertim au-
tem propter Theologorum orthodoxiam meritò pro matre
& nutrice alma cùm cœleſtis tum mundanæ ſapientiæ ſit ha-
benda. Vt enim de Theologico ſtudio tantum dicam, præ-
lectiones ibidem hodie continuantur ſedulò, diſputationes
ſingulis hebdomatibus habentur non unæ, ut ei, qui vel pau-
cos annos Theologiæ operam ibi navarit, neq́ʒ tamen ad ſoli-
dam eruditionem. pervenerit, magnopere & pœnitendum.
& pudendum eſſe videatur. Quid ergo? fratri etiam meo
tam inclytam, tam in tota Europa nobilitatam Academiam
viſere placuit: Nec tantum viſere, ſed & in ſtadio tum phi-
loſophiæ, tum Theologiæ decurrere. Cum primum enim
huc appulit, nihil prius neq́ʒ potius faciendum ſibi eſſe duxit,
quam ut ἐγκυκλοπαιδείαν quam alibi deguſtaſſet, hic indies
magis magiſq́ʒ adaugeret. Cum n. alibi verſaretur inter æqua-
les & condiſcipulos Homericum illud ſibi tenendū putabat:

αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων:

Ideo dabat operam, & in id omnes nervos ingenii in-
tendebat, ut ſi non in primis, ſaltem in ſecundis tertiisve ipſi
conſiſtere liceret. Verùm hîc quamplurimos conſpicatus
eſt adoleſcentes ingenio acuto & vegeto, diligentia indefeſſa,
& excitata, certare paratos, ut cum poeta loquar, igitur in-

ſtandum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

ſtandum ſibi credebat, nil actum credens, ſi quid reſtaret agendum. Multas ſæpe noctes diei aſſumens, dummodo ne in ἀμαθῶν cenſum reponeretur, Iſocratis illud laudans:

ἐὰν ἦς φιλομαθὴς, ἔσῃ καὶ πολυμαθής

Nihil hic dare me auribus tuis, pater dilectiſsime, nihil me tribuere fraternitati teſtes eſſe poſſunt locupletes diſputationes, eius aliquot de grauiſsimis controuerſijs Philoſophicis in publico Collegio coram multis honeſtiſsimis adoleſcentibus non ſine laude ab ipſo habitæ. Qua re effectum hoc eſt, vt gradum Magiſterij unanimi omnium ſuffragio & applauſu conſequeretur, cum his annum & aliquot menſes egiſſet, Decano tunc temporis Reuerend. & Clariſs. S. S. Theolog. Doct. VVolffg. Franzio. Hoc teſtimonio publico inſtructus, cum iam operam ſuam utilem fore ſperaret reipub. Chriſtianæ patriam repetere cogitabat, ſed ecce mirabilem ductum & nobis imperſcrutabilem Dei voluntatem, Morbus αἱμοῤῥοΐδων fratrem inuadit ille, de quo Medicus dixit, quod vena hæmorrhoidum aperta ſit lethale indicium, quo per ſeptimanas ſedecim tam fuit confectus vt mortem ipſam appetendam ſibi eſſe omnino animaduerteret. Quid ille? num eiulabat? num lamentabatur? nihil minus, adeo non erat impatiens aut φιλόψυχος, ut gratularetur ipſe ſibi quod ex hac miſeriarum valle ad Deum tam maturè auocaretur. Ac licet eſſet iuvenis viginti octo annorum: tamen facilè ferebat vitæ ſuæ occaſum, Auguſtini dictum collaudans. Quid eſt diu vivere, niſi diu torqueri: Cum ergò præparaſſet ſe ad mortem per totum tempus morbi diu durantis, ſpecimina invocationis & pietatis multa, impatientiæ nulla edidit. Cumque horam mortis jam jam imminere ſibi cerneret pijs & ardentibus precibus ad Chriſtum θεάνθρωπον mediatorem & propiciatorem noſtrum vnicè effuſis, commendatoque in manus eius Spiritu ſuo, placidè 8. Nouemb. paulo ante quintam matutinam, cum vixiſſet vt dixi annos

duo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

duodetriginta; expiravit ſequenti die honorifice ipſius exuuias terræ mandavimus propé templum parrochiale, actum illum ſepulturæ erudita concione exornante Reverend. & Clariſsimo viro Dn. D. Ægidio Hunnio Paſtore & generali Saxonici Electoratus Superintendente.

Hæc feré eſt breuis & nuda conſignatio vitæ & mortis filij tui, parens Chariſsime, fratris mei. Fateor equidem caſum hunc non potuiſſe non vulnerare aures tuas & cor tuum perturbare, cum præſertim vix triennio ante mater noſtra, tua uxor defuncta eſſet, tibiq́ deſiderium ſui reliquiſſet ingens. Sed quid faciamus, Chriſtiani ſumus, qui ſcire hoc & pro explorato habere debemus præmittere nos non amittere, ſi illi qui cari nobis in vita fuêre ex hac vita excedunt. Quid tibi ergo multis inculcem ſacræ ſcripturæ teſtimonia γινώσκοντι καὶ αὐτῷ, ſufficiat unicum ſalvatoris. Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me ut omnis qui videt filiũ & credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſsimo die. Quibus pulcerrimis, & conſolatione vivifica pleniſsimis verbis veritas ipſa Dominus noſter Ieſus Chriſtus aperté ſatis declarat nequaquam in ſepulcro manſuros nos eſſe, ſed ad perpetuæ & cœleſtis vitæ gaudia reſurecturos eſſe per eum qui eſt primogenitus ex mortuis. David rex & propheta cum puerulus ex Bethſabea natus animam iam modo exhalaſſet, ſignum luctus nullum edebat, obq́ id mirantibus aulicis reſpondit; ego quidem ad illum venturus ſum, ille autem ad me non redibit. Hoc tibi quoq́, dilectiſsime parens, vera fide credendum & perpendendum eſt. Ad uxorem & filium quidem venturus es, ſed illi ad te non redibunt. Nam in die ἀποκαταστάσεως πάντων & uxor & liberi reſtituentur tibi, & in complexum tuum venient, quod ut ſuo temporé eveniat te oro gemitibus imo de corde profectis ô Ieſu Chriſte,

Quod

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

Quod reſtat, gratias quas poſſum animo eapere maximas ago tibi meo, & fratrum nomine, quod nos in Academijs tam liberaliter ſuſtentas, Deumq́ʒ omnium benefactorum ἀντιμισθαποδότην largiſsimum rogo, vt quoniam nos nunquam ἰσόρροπον τιμὴν ſeaundum Ariſtotetem reddere non poſſumus, ipſe ſit retributor & merces tua magna nimis, ſicut dicit Deus ad Abrahamum: benedicat te Deus ſpirituali & corporali benedictione vitam tibi proroget in multos annos, te deniqʒ ſalvum & incolumem, ac ſanum corpore & animo quam diutiſsimè ad nominis ſui gloriam & Eccleſiæ conſolationem, & meum ac cæterorum liberorum commodum & emolumentum clementiſsimè conſeruare dignetur.

DIXI.

IN

IN PARENTATIONEM AB ORNATISSIMO DN. NICOLAO CHRISTIANO SPENDORPIO præmaturis manibus fratris concinnatam, carmen.

M. PETRI GRABOVII.

גְּבוּלִים לָנוּ שָׂרַת אֱלֹהֵינוּ לַכֹּל
וְעֵת לָלֶדֶת פֹּה וְעֵת לָמוּת מִפֹּה
לְמַעַן כֵּן אַתָּה כְּרִסְתִּיעֶרְנוּס
לְחוֹק זֶה נוֹלַדְתָּ לְמַעַן יָמוּת כֹּה
כְּמוֹ לֵאלֹהֵינוּ בְשָׁמַיִם רָצָה
לְךָ קָרָה וַיְהִי מְבֹרָךְ שֵׁם יְהוָה׃

Sicut homo prima res feliciſsima veste;
Sic exutus ea res ipſe miſerrima factus.
Namq; creaturam quam moles tanta malorũ
Quam premit adverſitam multa frequenſq; figura?
Solus homo iactus ſortis ſufferre tenetur;
Solus homo famæ velocia tela veretur:
Solus homo interitus vivit ſub Sole timore:
Solus homo degit duras ad legis habenas.
Ohe creaturis quis quæſo fabitur unquam
Præ reliquis duros quos ſentit homuncio caſus

Omnia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

3571

Omnia ſunt hominum gracili pendentia filo,
Omnia fortunæ vicibus, quæ poßidet, aſtant.
Quod reputare bonum eſt, ut quam ſibi curta ſupellex
Noſcat homo miſer, adq; Dei ſe numina vertat,
Seq; regi petat hoc immenſo flumine mundi,
Rem facis iccirco ſummis Nicolae vehendam
Laudibus, humanæ dum pendis pondera vitæ,
Et ſic te patremq; tuum ſolaris amicos
Morte ſuper fratris matura vivere digni;
Vivere dignus erat, verum eſt: ſed dignior omnes
Quam gratemini ei nunc vita hac vivitur illi.

ALIVD.

ΠΑς ὁ βίος κλαυθμός; πάσην δ' ἀπολέσκει ἐπαρχὰς
Εὐθυμίαν τ' ὠκὺ εἰς ἅλα θείεν ὕδωρ.
Καὶ τοῦτ' ἐστι πλέον; γένεσις θανάτοιο δότηρα,
Ογε ὁ βρότους κρύπτει ὡς πόλιν ὑγρὰ νέφη.
Ρητοὺς ἀρρήτους μὲν ἴσως πολὲ ἔχθρὸς ἀπεχθής:
τοῦτ' οἴνου πίνειν ὄλβιον δεῖτε κάκον;
Ἀλλὰ τ' ἀνεκτὰ σοφῶς: χριστὸς γὰρ βίωσις ἀληθής,
ἢ κατὰ γλῶ ὁ βίος κλαυθμὸς ὕδωρ τε νέφος.

Olaus C. Blichfeldius
Arhuſienſis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

nd erkentnis Gottes / da er einen leu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)

3571

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3571 4° (LN 1524)